

*Objicies cum Luthero:* Maria admisit peccatum infidelitatis, quando dixit Angelo: *Quomodo fiet istud; et peccatum impatientiae, quando dixit: Fili, quid fecisti nobis sic?*

*Ad 1.* Respondet D. Bernardus, *hom. 4.* Super misus est: *Non dubitavit de facto; sed modum requirit et ordinem: neque enim quaerit, an fiet istud, sed quomodo.*

*Ad 2. Nego ant.* Praefata enim B. Mariae verba non sunt impatientiae et reprehensionis indicia, sed doloris de absentia amantissimi Filii sui.

*Quaeres 3. Unde habuit impeccabilitatem B. Virgo Maria?*

*Resp.* Habuit per confirmationem in gratia; unde ejus impeccabilitas fuit moralis, non physica, quae soli comprehensori competit, cum oriatur ex amore Dei necessario, et ejusdem visione intuitiva.

## TRACTATUS VI.

### De Gratia Christi.

*Quaeres 1. Quid sit gratia Christi?*

*Resp.* Est donum supernaturale, gratis a Deo per merita Christi collatum, quod de se tendit ad actum et finem supernaturalem.

*Dicitur 1. Donum supernaturale;* ut distinguatur a donis naturalibus, ut sunt creatio, conservatio, &c. quae sunt beneficia gratuita, sed naturalia.

*Dicitur 2. Gratis a Deo collatum;* ut ostendatur gratiam non rependi praecedentibus meritis, *alioquin gratia jam non est gratia,* ait Apost. Rom. 11.

*Dicitur 3. Per merita Christi;* ut distinguatur a gratia status innocentiae, quae independentem a meritis Christi fuit concessa.

*Dicitur 4. Quod ex se tendit ad actum et finem super-*

*naturalem;* quia per gratiam creatura rationalis adjuvatur ad operationes, quae naturales illius vires superant, quaeque ad aeternam illius salutem ordinantur.

*Quaeres 2. Quomodo dividitur gratia Christi?*

*Resp.* Dividitur in *externam*, quae hominem exterius tantum afficit; ut sunt praedicatio Evangelii, lex, miracula, &c. et *internam*, quae hominem interius afficit, sive ipsi insit per modum habitus, sive per modum actus transeuntis.

*Gratia interna*, alia est *gratis data*, quae primario et per se conceditur alicui propter aliorum salutem, ut sunt dona prophetiae, miraculorum, linguarum, &c. Alia *gratum faciens*, quae ad propriam salutem illius, cui confertur, primario et per se ordinatur.

*Gratia gratum faciens*, alia est *actualis*, quae est auxilium quoddam internum, intellectui aut voluntati a Deo transeunter impressum, quo potentiae illae, de se insufficientes, adjuvantur ad eliciendos actus supernaturales, quibus justitia, vel justitiae incrementum obtinetur. Hinc hominem gratum Deo reddit efficienter. Alia est *habitualis*, estque qualitas homini permanenter inhaerens, quae ipsum formaliter reddit Deo gratum et sanctum.

De utraque illa gratia, actuali et habituali, hic agemus duplici Dissertatione.

## DISSERTATIO I.

### De gratia actuali.

**G**ratiae interioris actualis 1. necessitatem; 2. naturam et divisionem; 3. distributionem inquiremus, triplici capite.



## CAPUT I.

## De necessitate gratiae actualis.

Quaeres 1. **Q**uam erraverunt circa gratiae actualis interioris necessitatem?

*Resp.* Erraverunt 1. *Pelagiani*, qui negarunt tum necessitatem, tum gratuitatem gratiae actualis interioris ad quodlibet opus salutare peragendum.

2. *Semipelagiani*, qui docuerunt 1. initium fidei esse a nobis. 2. hominem per nisum voluntatis mereri gratiam ad opus salutare ulterius perficiendum, et salutem aeternam consequendam: ex quo sequebatur gratiam non praevēire voluntatem, sed ipsam praevēiri a voluntate. 3. Perseverantiam usque in finem a nostro libero arbitrio pendere, nec esse donum Dei speciale.

3. *Lutherus* et *Calvinus*, qui liberi arbitrii vires ita extenuant, ut nihil omnino boni moralis per solas naturae vires fieri posse contendunt; eaque opera quae per solas naturae vires fiunt, esse vitiosa et peccata.

4. *Bajus* et *Jansenius*, qui docent, 1. Gratiam habitalem ita necessariam esse ad quodlibet opus bonum morale, ut omnia peccatorum opera sint peccata. 2. Omnes infidelium virtutes esse vera vitia, et omnia eorum opera esse peccata.

Quaeres 2. *Utrum homo lapsus possit, sine gratia interiori praevēiente, efficere aliquod opus salutare?*

*Resp. negat.* Prout de fide saepius definitum est contra Pelagianos in Concilio Diospolitano, Carthaginensi III. et Arausicano II. constatque ex Scriptura, Joann. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Et cap. 15. *Sine me nihil potestis facere.* 2. Cor. 3. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* . . . Ratio est, quia media debent esse proportionata fini, et ejusdem cum illo ordinis; atqui

opera salutaria sunt media ad salutem aeternam, quae est supernaturalis; ergo debent esse supernaturalia: at qui non possunt esse supernaturalia nisi praevēiantur et excitentur gratiae supernaturalis auxilio; ergo, &c.

*Objicies* 1. *Mysterio credibiliter proposito, potest homo ratione utens, assentiri et credere absque gratiae interioris auxilio; ergo fides, quae est opus salutare, potest haberi absque gratia actuali.*

*Res. Dist. ant.* Fide humana et ad vitam aeternam sterili, *conc.* fide supernaturali et salutari, *nego ant.* Nam contrariatur Concilio Trid. *Sess. 6. can. 3.* definiti: *Si quis dixerit, sine praevēiente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse sicut oportet, ut ei gratia justificationis conferatur, anathema sit.*

*Inst.* Qui mysterio credibiliter proposito, credit propter Dei revelantis auctoritatem; ergo ejus fides est supernaturalis; habet enim objectum super-naturale.

*Resp. Nego conseq.* Nam ut actus sit intrinsece supernaturalis, non sufficit, ut circa objectum supernaturale versetur, sed insuper requiritur ut procedat a principio supernaturali; facultas enim non potest ultra vires proprias tendere, nisi per formam aliquam super-additam vegetetur et corroboretur.

*Objicies* 2. *Homo justus, habituali gratia donatus, potest absque gratia actuali voluntatem praevēiente, facere aliquod opus salutare; ergo, &c.*

*Resp. Nego ant.* cum D. August. qui, *lib. De nat. et grat.* ait: *Sicut oculus corporis, etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere; sic homo perfectissime justificatus, nisi aeterna luce justitiae divinitus adjuvetur, recte non potest vivere.* Ita etiam definit Conc. Trid. *Sess. 6. cap. 16. et Canone 22.*

Quaeres 3. *Utrum homo lapsus, sine gratia praevēiente, possit incipere aliquod opus salutare?*



*Resp. negat.* Ut definit Conc. Arausicanum II. can. 5. *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei ipsumque credulitatis affectum . . . non per gratiae donum, id est, per inspirationem Spiritus Sancti . . . sed naturaliter nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus adversarius approbatur.*

Ergo, homo, per solas naturae vires, non potest se praeparare ad gratiam, ut definiuit idem Concilium, can. 7. et ratio est, quia actus naturalis nullam habet proportionem ad formam supernaturalem, qualis est gratia; eam enim non exigit: ergo, &c.

*Objicies* 1. Prov. 16. dicitur: *Hominis est praeparare animam, et Domini gubernare linguam;* ergo hominis est incipere opus salutare, cujus intuitu Deus praeparat et confert gratiam.

*Resp. Dist. conseq.* Hominis est incipere opus salutare, ope gratiae praeventientis, *conc.* per solas naturae vires, *nego.* Sensus ergo textus est, hominis esse animam ope gratiae praeventientis praeparare ad ulteriorem gratiam specialiozem, quae necessaria est, ut pie cogitata, recte et fructuose eloquatur.

*Objicies* 2. Zachariae 1. Deus dicit: *Convertimini ad me, et convertar ad vos;* ergo homo debet incipere negotium salutis.

*Resp. Dist. conseq.* Homo debet incipere, praeventus et excitatus a gratia divina, *conc.* per vires naturales, *nego.* Conversio enim hominis ad Deum est fructus gratiae praeventientis, et conversio Dei ad hominem designat gratiae subsequentis collationem. *Cum dicitur:* *convertimini ad me, et ego convertar ad vos, libertatis nostrae admonemur,* ait Concil. Trident. Sess. 6 capit. 5. *cum respondemus,* converte nos, Domine, ad te, et convertemur, *Dei gratia nos praeveniri confitemur.*

*Objicies* 3. Axioma Theologicum, *facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam;* ergo homo per solas naturae vires potest sese ad gratiam praeparare.

*Resp. Dist. ant.* Faciendi quod in se est ex gratiae viribus, *conc.* ex naturae viribus, *nego.* Axioma 1. sensu intellectum, est D. Thomae, 1. 2. q. 109. a. 6. ad 6. dicentis: *Nihil homo potest facere nisi a Deo moveatur, secundum illud. Joan. 15. Sine me nihil potestis facere: Et ideo cum dicitur homo facere quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis secundum quod est motus a Deo.* 2. Sensus intellectum, damnatum est a Clero Galicano, an. 1700. *Tanquam instaurans Semipelagianismum, mutatis tantum vocibus.*

*Quaeres* 4. *Utrum justus in praesenti statu indigeat speciali gratiae auxilio ad reipsa perseverandum usque in finem vitae?*

*Resp. affirm.* Ita enim definitum est a Concilii Arausicano II. et Trid. Sess. 6. can. 22. *Si quis dixerit iustificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.* Ratio est, quia donum perseverantiae hominem reddit in bono ita immobilem, ut finem, nempe mortem in Christo, indeclinabiliter assequatur: atqui homo justus cum auxiliis gratiae ordinariis non potest habere illam immobilitatem; ergo gratia perseverantiae est donum speciale, ab aliis auxiliis distinctum, quod ideo a Conc. Trid. can. 16. vocatur, *magnum perseverantiae donum.*

*Objicies.* Ut quis in accepta iustitia usque in finem perseveret, sufficit ut ultimum impleat praeceptum; atqui illud implere potest cum auxilio ordinario; ergo.

*Resp. Dist. min.* Cum auxilio ordinario implere potest ultimum praeceptum, quatenus praecise praeceptum est, *conc.* quatenus est ultimum, *nego.* Ultimum siquidem non est, nisi quatenus mors contingit post ejus fidelem adimplerionem, illud autem singulari Dei beneficio tribui necesse est, cum in statu gratiae iustificantis ex hac vita eripi, speciale sit donum Dei.

*Quaeres* 5. *Quid sit perseverantiae donum?*



*Resp.* Definitur a Div. August. lib. de dono perse-  
ver. cap. 1. *Donum Dei, quo usque in finem (vitae) perse-*  
*veratur in Christo.*

Quaeres 6. *In quo praecise situm sit magnum per-*  
*severantiae donum?*

*Resp.* Situm est in duobus: 1. In interno gratiae  
actualis auxilio, quo homo justus, vel a peccato retrahi-  
tur, vel a suis peccatis, propter quae a Deo deserui me-  
rebat, cito respiscit, ac tandem in accepta justitia  
perseverat. 2. In singulari Dei protectione externa, qua  
Deus ab homine justo graves tentationes, peccandi oc-  
casiones, et alias salutis obstacula removet, ac tandem  
ejus mortem cum gratia sanctificante conjungit.

Quaeres 7. *Utrum homo lapsus possit absque gratia*  
*aliquod opus bonum morale naturalis ordinis velle et fa-*  
*cere?* Per opus bonum morale intelligimus opus bonum  
ex objecto, fine, et aliis circumstantiis, seu opus, quod  
ex parte objecti bonum est, et ex parte operantis re-  
fertur ad finem honestum, v. gr. datio eleemosynae ad  
sublevandum pauperem.

*Resp. affirm.* Nam. Rom. 2. dicitur: *Gentes quae le-*  
*gem non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt;*  
*ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui os-*  
*tendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Ergo gen-  
tiles aliquod opus bonum naturalis ordinis possunt fa-  
cere *naturaliter*, id est, sine gratia, sine fide, ut inter-  
pretantur Patres. Ratio est, quia per peccatum Adami  
liberum arbitrium minime extinctum est, *viribus li-*  
*cet attenuatum et inclinatum*, prout docet Conc. Trid.  
Sess. 6. c. 1. Ergo potest homo solis liberi arbitrii viri-  
bus aliqua opera moraliter bona propter finem hone-  
stum elicere: v. gr. potest gentilis naturali pietate hono-  
rare parentes, naturali commiseratione sublevare pro-  
ximi miseriam, quia id honestum est, et rationi natu-  
rali conforme.

Hinc merito SS. Pontifices, Pius V. Greg. XIII. et

Urban. VIII. has propositiones Bajanæ proscripse-  
runt: 25. *Omnia opera infidelium sunt peccata, et phi-*  
*losophorum virtutes sunt vitia.*... 37. *Cum Pelagio*  
*sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex na-*  
*turae viribus ortum ducit, agnoscit.* Item Clem. XI.  
has Quesnellianas damnavit: 39. *Voluntas, quam gra-*  
*tia non praevenit.*... *est capax omnis mali, et inca-*  
*pax ad omne bonum.*... 40. *Sine gratia nihil amare*  
*possumus, nisi ad nostram condemnationem.*

*Objicies* 1. Apost. Hebr. 11. dicit: *Sine fide impos-*  
*sibile est placere Deo;* ergo.

*Resp. Dist. ant.* Impossibile est placere Deo, in or-  
dine ad vitam aeternam, *conc.* in ordine ad honesta-  
tem moralem naturalis ordinis, *nego.* Itaque quando  
Scriptura et Patres sic loquuntur, intelligendi sunt de  
opere salutari, non autem de opere sterili in ordine ad  
vitam aeternam, qualia sunt opera bona facta absque  
gratia.

*Objicies* 2. Matth. 7. dicitur: *Non potest.*... *arbor*  
*mala bonos fructus facere;* atqui infidelis est arbor  
mala; ergo.

*Resp. Dist. maj.* Quando agit ex sua malitia, *conc.*  
aliter, *nego.* Porro infidelis non semper ex sua mali-  
tia et infidelitate agit, sed quandoque ex dictamine re-  
ctae rationis.

*Inst. D. Aug. lib. de spiritu et litt. c. 14. ait:* *Non*  
*est fructus bonus, qui de charitatis radice non surgit.* At-  
qui nullum opus infidelis de charitatis radice surgit; ergo.

*Resp. D. Aug. loquitur de opere bono salutari, non*  
autem de opere bono morali, quod sic praecise, non  
est salutare, cum sit sterile ad vitam aeternam; sese  
explicat lib. 4. contra Julian. c. 5. dicens: *Scito, nos*  
*illud bonum hominum dicere.*... *per quod solum homo*  
*potest ad aeternum Dei donum regnumque perduc.*  
Unde ejus testimonia nihil habent commune cum  
praesenti nostra quaestione.



*Objicies* 3. Conc. Arausicanum, can. 22. ait: *Nemo habet de suo, nisi mendacium et peccatum*; ergo.

*Resp. Nego conseq.* Sensus enim Canonis est, hominem sibi soli sufficere ad peccandum, eum vero ad bonum operandum indigere auxilio Dei, naturali quidem ad bonum morale, et supernaturali ad bonum salutare. Ex his

*Sequitur* 1. Aliqua legis naturalis praecepta facilliora posse absque gratia observari quantum ad substantiam; nam omne bonum morale est praeceptum legis naturalis.

*Sequitur* 2. Hominem lapsum posse absque gratia Deum ut auctorem naturae amare amore imperfecto, id est, amore qui non sit super omnia: nam voluntas amare potest naturaliter, quod intellectus naturaliter potest cognoscere; atqui intellectus naturaliter potest cognoscere Deum esse tum summum bonum propter se amabile, tum summum nostrum bonum; ergo, &c. Unde Apost. *Rom.* 1. dicit: *gentes esse inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* Ergo Deum amare poterunt.

Hinc SS. Pontifices merito hanc Baji propositionem damnarunt: *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus diligitur ut auctor naturae, et gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia.* SS. Patres, qui videntur contrarii, loquuntur de amore supernaturali, perfecto, et conducente ad vitam aeternam.

*Sequitur* 3. Hominem lapsum posse aliquando absque supernaturalis gratiae auxilio leves quasdam vincere tentationes, victoria sterili. Quia quando facultas potest aliquid naturaliter, id etiam potest cum levis impedimentis; atqui homo lapsus aliquod opus bonum ordinis naturalis potest peragere absque gratia; ergo &c. Hinc merito damnata est haec Baji proposi-

*tio: Fures sunt et latrones, qui dicunt... ulli tentationi sine gratiae illius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non incidat, aut ab ea non superetur.*

*Objicies.* Scriptura, Concilia, et SS. Patres indefinite docent victoriam tentationum esse a Deo; ergo leves tentationes non possunt vinci, nisi per gratiam Dei.

*Resp. Nego conseq.* Non enim ideo soli Deo adscribunt victoriam tentationum indefinite, quod nulla levior tentatio possit vinci absque gratia; sed 1. Quia Scriptura semper, et SS. Patres plurimum loquuntur de victoria meritoria, quae absque gratiae auxilio haberi non potest. 2. Quia loquuntur de universo tentationum agmine, quod non potest vinci absque speciali Dei auxilio. 3. Quia SS. PP. Pelagianos impugnant, qui cum indistincte victoriam tentationum naturae viribus tribuerent, efficacius refelli non potuerunt, quam si illarum indistincte victoriam ad gratiam Dei referrent. Nunc itaque

*Quaeres* 8. *Utrum homo lapsus, absque gratiae divinae auxilio, possit omnia legis naturalis praecepta quoad substantiam operis servare?*

*Resp.* Non potest potentia morali: nam Apost. *Rom.* 8 ait: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, (id est, legi naturali) et captivantem me sub lege peccati, quae est in membris meis.* Hinc exclamat: *Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Respondet: *Gratia Dei per Jesum Christum;* ergo natura humana, ita per peccatum infirmata est, ut hoc praeceptum: *Non concupisces:* non possit implere, nisi per gratiam Dei, qua vulnus inflicto sanetur.

*Objicies.* *Rom.* 2. dicitur: *Gentes quae legem non habent, ea, quae legis sunt, faciunt;* ergo homo lapsus absque gratia potest observare omnia legis naturalis praecepta.



*Resp. Nego conseq.* Textus enim non de omnibus praeceptis est intelligendus, sed tantum de aliquibus, iisque facilibus, quae quandoque et aliquando a gentibus naturaliter possunt observari, quando nimirum graves non adsunt occasiones ab illa observatione removentes.

*Inst.* Homo lapsus habet potentiam moralem ad omnia praecepta legis naturalis distributive; ergo et ad omnia collective.

*Resp. 1. Dist. ant.* Habet potentiam moralem ad omnia distributive praecepta, quae sunt facilia, quale est praeceptum honorandi parentes, *conc.* quae sunt ardua, sive ex objecto, sive ex tentatione et aliis circumstantiis, *nego.* Sapiens enim *cap. 8.* de praecepto continentiae, ait: *Scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det.*

*Resp. Nego conseq.* Collectio enim difficultatem habet, quam non habent singula.

Quaeres 9. *Utrum homo lapsus possit absque gratia Deum ut auctorem naturae amare amore perfecto et super omnia?*

*Resp. negat.* Nam amor Dei super omnia perfectus et efficax omnium Dei praeceptorum executionem importat, ita ut voluntas parata sit absolute et efficaciter Deo in omnibus placere, omniaque ei displicentia vitare; atqui homo lapsus non potest sine gratia omnia Dei praecepta, etiam naturalia, exequi; ergo.

*Obijcies.* Amor Dei super omnia perfectus, lege naturali praecipitur; ergo solis naturae viribus potest elici.

*Resp. Dist. conseq.* Potest elici a natura sana, *conc.* a natura per peccatum vitiata, *nego conseq.* Licet enim praeceptum naturale amoris Dei super omnia non superet vires naturae integrae, superat tamen vires naturae vitatae; ergo non potest impleri absque *auxilio gratiae naturam sanantis*, ait D. Thom. 1. 2. q. 109. a. 3.

*Inst.* Homo lapsus potest naturaliter cognoscere

Deum, etiam ut auctorem naturae; esse super omnia amabilem; ergo et naturaliter amare super omnia.

*Resp. Nego conseq.* Disparitas est, quod, ut ait Div. Thom. ad 3. *Natura humana magis est corrupta per peccatum quantum ad appetitum boni, quam quantum ad cognitionem veri*, eo quod peccatum voluntate commissum est, et ideo amoris Dei perfecto, non cognitioni Dei super omnia amabilis, obstant infirmitas et corruptio naturae.

Quaeres 10. *Utrum homo lapsus possit absque auxilio gratiae gravem tentationem vincere victoria sterili?*

*Resp. negat.* Nam Scriptura significat opus esse gratiae auxilio ad superandas tentationes, Psal. 17. *In te eripiar a tentatione.* Et Matth. 26. *Vigilate et orate ne intretis in tentationem.* Unde hic Pelagii articulus: *Victoria nostra non est ex Dei adiutorio, sed ex libero arbitrio:* damnatus est in Conc. Diospolitano, c. 11.

*Obijcies.* Homo lapsus potest solis naturae viribus vincere tentationem mortis ex motivo prave, v. g. ex vana gloria; ergo et ex motivo honesto.

*Resp. Nego conseq.* Disparitas est, quod homo lapsus ab objectis delectabilibus et pravis multum afficiatur, et ideo vincit unam tentationem per aliam fortiolem, qualis est pertinacia, et inanis gloriae cupiditas; e contra motivo honestatis parum afficitur; et sic illud motivum totam relinquit difficultatem, non tollit, neque minuit.

Quaeres 11. *Quaenam gratia interior requiratur ad observanda omnia legis naturalis praecepta, et graves tentationes superandas?*

*Resp.* Requiritur 1. gratia habitualis quae sanet naturam. 2. Requiritur gratia actualis; quia licet gratia habitualis sanet naturam, tamen nec intellectus ignorantiam, nec voluntatis malitiam, nec appetitus sensitivi rebellionem tollit; ergo ad hoc requiritur gratia actualis.



Quaeres 12. *Utrum gratia, quae requiritur ad observanda praecepta naturalia propter solam honestatem moralem, debeat esse supernaturalis?*

*Resp.* Debet esse supernaturalis ratione principii, quia est homini indebita; non vero ratione objecti, quia hominem non dirigit ad finem supernaturalem.

## CAPUT II.

*De natura et divisione gratiae actualis.*

Quaeres 1. **Q**uomodo dividitur gratia actualis?

*Resp.* 1. Dividitur in excitantem et adjuvantem. . . . gratia *excitans*, est supernaturalis et indeliberatus intellectus et voluntatis motus, quo Deus nos veluti torpentes et somno sopitos ad bonum supernaturale movet et excitat, et a malo retrahit. . . . vocatur etiam *operans*, quia Deus, <sup>at habet</sup> ipsum illum motum operatur in nobis sine nobis libere consentientibus. . . . vocatur etiam *praeveniens*, quia praevenit voluntatem, causando in ea boni motus initium.

Gratia *adjuvans* est concursus supernaturalis Dei, quo nobiscum per gratiam excitantem illustratis ac motis, concurrat ad omnes et singulos actus supernaturales et liberos. . . . vocatur etiam *cooperans*, quia bonam actionem nobiscum operatur, et *subsequens*, quia subsequitur et executioni applicat bonum motum jam in voluntate per gratiam excitantem inchoatum.

2. Gratia *excitans*, dividitur in sufficientem et efficacem, de quibus duplici Paragrapho agemus.

§ I. *De gratia sufficienti.*

*Nota.* 1. Gratia sufficiens sumi potest, 1. *genericè*, prout convenit etiam gratiae efficaci, et est, *ea quae voluntati subministrat vires pares et proportionatas*

*De Gratia Christi.*

*effectui bono, ad quem proxime movet, et quem Deus ultimate intendit, producendo. . . .* 2. *Specificè*, quatenus opponitur gratiae efficaci, diciturque *mere sufficiens*, et haec definitur: *Ea quae licet vires pares et proportionatas subministret ad ponendum effectum ad quem datur, et quem Deus ultimate intendit, illum tamen non sortitur ex sola culpa voluntatis, nolentis gratiae consentire.*

2. Alia est *proxime sufficiens*, quae dat immediatam potentiam ad executionem operis ad Deo ultimate intenti; v. g. ad executionem talis praecepti. Haec vocatur *gratia actionis. . . .* Alia est *remote sufficiens*, quae non dat equidem immediatam potentiam executioni operis a Deo ultimate intenti, sed dat immediatam potentiam ad implorandum per orationem uberioris Dei auxilium, non conferendum a Deo nisi prius oraverit homo, et certo conferendum, si reipsa oraverit, gratiae primae obsequens. Hae vocatur *gratia orationis.*

Quaeres 1. *Quinam rejecerunt gratiam sufficientem?*

*Resp.* Eam rejecerunt 1. *Calvinus, Lutherus et Badius*, qui volunt sic gratiam determinare voluntatem ad actum, ut nullum libertati locum relinquant; ergo secundum eos, omnis gratia est necessitans et efficax. 2. *Jansenius*, (quem sequitur *Quesnellus*) docet gratiam ita invicte ac insuperabiliter voluntatem humanam determinare ad unum, ut semper consensum voluntatis exprimat.

Quaeres 2. *Quotuplicem admittunt gratiam Janseniani?*

*Resp.* Duplicem, *primam*, quae plenum atque perfectum effectum assequitur, et ad id a Deo datur, hancque vocant efficacem et vitricem relative. . . . *Secundam*, quae efficit quendam velleitatem et complacentiam boni operis inefficacem, et ad id duntaxat a Deo datur, hancque sufficientem appellare non recusant